AUTHOR:

RUGE, MAX

TITLE:

DE ABLATIVI IN VETERIBUS LINGUIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1877

Master Negative #

93-81316-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.55
Z8
v.2

Ruge, Maximilian Ferdinand, 1853-
De ablativi in veteribus linguis Italicis forma et usu locali, dissertatio ... quam ... scripsit Maximilianus F. Ruge ... Lipsiae, sumptibus S. Hirzelii, 1877.
p. 385-417. 21 cm.

Thesis. Leipzig.
Curtius u. Brugman, Studien X.
Volume of theses.

26938

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-22-93 INITIALS MY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: ROBE, MAXIMILIANUS

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: _____

_____ Illegible and/or damaged page(s): _____

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: _____

_____ Bound out of sequence: _____

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: _____

√ Other: PAGINATION RUNS 383-418

DE ABLATIVI
IN VETERIBUS LINGUIS ITALICIS
FORMA ET USU LOCALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINE ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS F. RUGE

BEROLINENSIS.

LIPSIAE
SUMPTIBUS S. HIRZELII.
MDCCCLXXVII.

Quamquam iam multi iique homines doctissimi quomodo in prisca latinitate casus ad terminos locales significandos adhiberentur, exposuerunt atque diligentissime paene omnia exempla, quae in scriptis Romanorum ad hanc rem pertinent, collegerunt, tamen nova quaestione opus est, quia fere nunquam, ut necesse erat, quaesitum est quomodo casuum et simplicium et cum praepositione coniunctorum usus in lingua latina ortus esset. Neque sufficit redire ad antiquissima, quae quidem nobis nota sunt, sermonis latini tempora, sed proficiscendum est a principiis syntaxi comparativa constitutis.

Delbrueckius enim primus in illo libro, quo egit de ablativo, locali, instrumentali (B. Delbrück: Ablativ, Localis, Instrumentalis im Altindischen, Lateinischen, Griechischen und Deutschen, Berlin 1867) demonstravit, qui usus horum casuum in lingua indogermanica fuerit, ut nunc quidem satis explicari possit, quibus rebus latinae linguae usus ab illo differat. Et Delbrueckius quidem in unam tantum omnium dialectorum italicarum, latinam, inquisivit. Sed cum casus in lingua osca et umbrica et aliter formati et aliter inter se commixti sint atque in lingua latina, etiam usus eorum non prorsus idem est. Cadit hoc maxime in ablativum, cui tractando operam ita navabimus, ut quaeramus, quomodo in linguis italicis hic casus ad terminos locales significandos adhibitus sit, qua in quaestione potissimum linguae latinae ratio habebitur.

Primum quidem breviter de ablativi forma disputandum erit. — Constat inter omnes in lingua italica sicut in sanscritica primitus octo casus fuisse, cuius copiae, quamquam

in omnibus dialectis instrumentalis cum ablativo coaluit, localis in lingua latina partim cum ablativo partim cum genetivo vel dativo coniungebatur, vestigia tamen ne nunc quidem plane evanuerunt.

Iam ut de ablativi usu exponamus, etiam de adverbiis localibus disputandum erit, neque vero, quoniam terminorum temporalium magna pars recta via ex localibus orta est, hi plane silentio praeteriri possunt.

Scriptores latinos omnes usque ad Terentium perlustravimus, ita tamen, ut exempla ex illis praecipue fabulis Plautinis hauriremus, quae accurate editae sunt, eis autem, ad quas apparatus criticus deest, non multum tribueremus. — Librorum, quos adhibuimus, hi potissimum nominandi sunt: Delbruecki liber is, cuius iam supra mentionem fecimus; Holtze: Syntaxis prisc. latin. Lipsiae 1861; Draeger: Historische Syntax d. lat. Sprache, Leipzig 1874, qui homo doctus ubi de antiquis temporibus agit, plerumque Holtzium secutus est. Etiam a Brixio et Lorentzio in Plautinarum fabularum editionibus multa quae huc pertinent diligentissime collecta sunt. Itaque cum magnae collectiones iam ab aliis confectae sint, ego id maxime egi, ut has supplerem, quod quidem aliquoties fructui esse putavi; praeterea paucis tantum iisque gravissimis exemplis usi sumus.

Caput I.

DE CASUUM FORMA.

1. Ablativus pluralis.

In forma ablativi pluralis cognoscenda quae difficultates insint, neminem fugit. Equidem Boppi (Vergl. Grammatik I. 485), quem alii viri doctissimi secuti sunt, sententiam improbandam esse credo; nego enim in hoc casu formando linguam graecam atque latinam, quas artissime cohaerere Georgius Curtius (K. Z. IX a. s.) intellexit, prorsus inter se

fuisse diversas; deinde, cum ablativi pluralis latini usum, qualis sit, spectamus, illorum sententia, qui hunc casum locativum esse putant, nobis valde arridet; sed quod maxime nos impedit, quominus Boppi sententiam probemus, hoc est: non est dubium, quin in lingua indogermanica huius casus exitus *bhjams* fuerit, unde in lingua italica *fos*, in latina *bos, bus* formatum cum stirpe verborum in *i* exeuntium coniungebatur (*avi-bus*); verba autem in consonantem exeuntia ex horum analogia *ibus* stirpi adiungebant. Schleicherus autem (Compendium pag. 569) multique homines doctissimi ex suffixo *bhjams* etiam exitum ablativi vel dativi verborum in *a* et *o* exeuntium ducunt, rati has formas aliam ex alia paullatim exortas esse: **equofios* — **equohios* — **equoios* — *equis*. Quam sententiam veram non esse ex lingua umbrica apparet. Stirpis enim *fratr* (lat. *frater*), *avi* (lat. *avis*) ablativus pluralis est *fratrus, aveis*; stirpis vocalibus *a* vel *o* terminatae ablativus est *Treplanes*, *dequries* (in tabulis posterioribus *Treblaner, dequrier*), cum contra illae formae etiam tum litteram *s* intactam retineant. Nam cum linguae umbricae posterioris proprius sit rhotacismus — dico eam legem, qua quodque *s* simplex vel intermedium vel finale in *r* mutatur —, inter *s* litteram, quae servatur in formis *aveis* — *aveis*, et illam, quae mutatur in formis *Treplanes* — *Treblaner* a. a., aliquid interesse putandum est. Nam si quis dicat in lingua umbrica, quae in tabula quinta, sexta, septima legitur, consonantem *s* inter duas vocales aut in fine verborum inveniri, profecto illud *s* non est simplex, quod his exemplis demonstratur: *Fisim*, pro quo in tabula Iguvina VII. a. 43 *Fissim* legitur; *taces*, contractum ex **tacetos*, quod etiam per *tacez*, quae tabularum antiquiorum scriptura est, comprobatur.

Quam ad difficultatem, quae Schleicheri sententia probata exoritur, removendam atque quid intersit inter ablativi formas explicandum ab aliis aliud requisitum est remedium. Aufrechtus et Kirchhoffius in illo libro (AK. Die umbrischen Sprachdenkmäler, Berlin 1849/50 pag. 114. 128. a. s.), quo

lingua umbrica ut nobis nota esset, summo labore admirabilique ingenio effecerunt, illud *es* umbricum (*Treplanes, -er*) ex suffixo *bhis*, terminationes autem eiusdem casus *us* (*fratrus*) et *eis*, *es* (*aveis-s*) ex *bhjas* sanscritico (indogermanico *bhjams*) derivandum esse putaverunt; quorum virorum sententia certe non confirmatur eo, quod ex eodem suffixo *bhjams* exitum accusativi pluralis ducere conantur. Quam sententiam de ablativi forma prolatam quominus sequamur, non modo id nobis impedimento est, quod consonans *f* vel *bh* excidisse putatur, sed etiam aliae causae, quae suo loco commemorabuntur.

In eundem errorem Corssenus (Kritische Nachträge, Leipzig 1866 pag. 216) inductus est, qui *fratrus* ex **fratrefos* excidente *f* formatum esse sibi persuasit, qua in explicatione ne contractio quidem, qua *u* litteram ex *e* atque *o* vocalibus ortam esse contendit, concedenda est. Quomodo stirpes in *i* exeuntes se habeant, ipse non reputat, nec possunt illae formae eo modo explicari. Praeterea haec sententia, quam hodie multi homines docti (Enderis, Formenlehre der osk. Spr., Zürich 1871 pag. LX. LXVI a. a.) probant, quam falsa sit, vel maxime ex hac re perspici potest: si *us* verbi *fratrus* ex *hus* — *fus* — *fius* — *bhjas*, atque *is* verbi *prosesetis* (*prosesetir*) ex *his* — *fis* — *fies* — *bhjas* orta esset, utrumque *s* aequo modo ac simplex in tabulis linguae iunioris umbricae latine scriptis in *r* mutata esset, quod factum non est.

Brealus (Bréal, Les tables Eugubines, Bibliothèque de l'école des hautes études, Paris 1875 pag. 7) ad has varias formas explanandas suffixum *s*, quod in *r* mutatur, cum graeco σι convenire atque *s* immutabile graeco εσσι respondere putat. At non modo *u* illud in *fratrus* quid sibi velit, non perspicitur, sed etiam hoc huic explicationi obstat, quod εσσι unius linguae graecae proprium est. Nam huius formationis cum in lingua latina vestigia nulla exstent, dubito num in lingua italica ad ablativos pluralis numeri verborum in consonantem vel *i* exeuntium formandos alia forma atque *fos* vel *bos* usurpata sit.

Rectissime autem iam a Schleichero (Comp. pag. 570) stirpium consonanti terminatarum suffixi forma intellecta est, qui *fratrus* ex **fratr-fos* ortum esse dicit. Lege enim communi, qua lingua umbrica utitur, formae **fratrfos* — **fratrfs* — **fratrss* — **fratrs*, ubi tum vocalis *u* fusci coloris *f* et *r* causa interposita est, alia ex alia ortae sunt (cf. *pihas*, sive *pihaz*, — **pihats* — **pihatos*). Quam sententiam veram esse etiam ex nominibus, quorum stirps *i* vocali finitur, intellegitur, in quibus eodem modo *aveis* ex **aveiss* — **aveifs* — **aveifos* derivandum est. Quae cum ita sint, falsum esse putabimus quod Franciscus Buechelerus (Grundr. d. latein. Decl. pag. 94) de his formis disputavit *fratrus* recta via excidente *f* formatum esse ratus, quia sic neque *aveis* nec *s* immutabile intellegeretur.

Vides nunc illud *s* verborum *fratrus*, *aveis* in *r* mutatum non esse propterea quod non simplex erat, sed quasi duplex, ex *fs* assimulatione contractum. Nec parum confirmatur nostra sententia lingua osca, quae idem discrimen praebet, ubi forma ablativi stirpium in *a* vel *o* exeuntium cum latinis convenit (*hùrt-ùìs* — **hort-ois* — *hort-is*, quod a graeco χόρτοις ne separes); sed *anafriss* in lingua latina ..... *ibus* esset; quae forma a Schleichero recte ex **— ifos* (**— ifs*) deducitur.

Quibus rebus expositis nolite dubitare, quin Buechelerus et Brealus recte disputaverint ablativum pluralis numeri italicum stirpium vocali *a* vel *o* terminatarum suffixi *si* (σι) ope formatum esse rati; qua re factum est, ut casus ablativus (sive dativus) pluralis et locativi et ablativi, qui proprius dici potest, usum habeat.

Dicet fortasse quispiam formas *filiabus, portabus, amicibus, suibus* (pro *suis* Mo. I. R. N. 6417) repugnare contra id, quod diximus; minime. Errat enim Schleicherus (Comp. 569), cum ex *filiabus, amicibus* formas *filiis, amicis* derivatas esse putat. Formae enim, quales sunt *amicibus, suibus*, vix aliter oriri potuerunt quam per falsam quandam, quae dicitur, analogiam. Inter *filiabus* autem atque *filiis* non ea ratio inter-

cedit, ut altera forma ex altera exorta sit, sed *filiabus* aut per analogiam tertiae quae dicitur declinationis formatum putandum est aut, quod mihi quidem verisimilius videtur esse, suffixi *bus* (*bhjams*) ope eodem modo atque ceterarum declinationum ablativi procusum est.

Miranti tibi, quid sit quod illic casus localis, hic ablativus superaverit, hoc in mentem revoca: priore tempore exitus futuri latini (*bo*) in omnibus coniugationibus adhibebatur (cf. Enn. Plaut.: *audibo* a. a.), postea vero tantum in eis coniugationibus, quae prima atque altera vocantur, cum reliquae coniugationes exitum coniunctivi vel optativi sibi sumerent.

2. Ablativus singularis.

Huius casus exitus substantivorum in lingua sanscritica in *a* exeuntium *ât* (*açvât*) est, quem fortasse recte Maximilianus Muellerus (Essays IV. pag. 415) ex *âd* (*açvâd*) mutatum esse iudicavit; quae forma consonanti *d* terminata cum in lingua slavonica, sanscritica, graeca (ubi eius partem adverbia in *ως* exeuntia susceperunt) nisi in masculinis et neutris stirpium in *a* et pronominibus non exstet, Leskienius (Die Declination im Slavisch-lit. und Germanischen 1876) his tribus modo ordinibus hunc casum deberi dixit, nonnullis autem in aliis linguis ex analogia ad ceteras declinationes esse translatum. In osca quidem lingua illud *d* semper invenitur, etiam iis locis, ubi ablativus casus instrumentalis munere fungitur (*dolùd malùd* — *dolo malo, eisak eitiuvad* — *ea pecunia* XVI. 3); in latina contra iam ab antiquissimis, quae nobis nota sunt, temporibus, illud *d* non constanter scribitur, ut discerni nequeat, instrumentalis casus utrum semper litteram *d* acceperit necne.

Miro quodam modo Bergkius (Beiträge z. latein. Grammatik, Halle 1870 I. pag. 21) hac de re disseruit, quoniam *aliunde* et *Benventod* eadem loci ratione uterentur, suffixum ablativi *de* fuisse, cui graecum *θε* responderet; qua in re morari certe opus non est, quoniam dubitari non potest, quin

ablativus, qualis in ceteris linguis indogermanicis *t* (*d*) littera formatus invenitur, talis olim in italica fuerit, neque eorum sententia mihi arridet, qui veterem ablativi formam alia formatione oppressam esse putant, qua sententia Bergkius videtur usus esse; tum videas velim formas *dormibo* et *dormiam*, quae, quamquam eandem vim habent, tamen plane diverso modo formatae sunt.

Lingua autem umbrica nunquam illud *d* servavit, atque quae vestigia Buechelerus (Tabul. Eugub. VI. Fleck. Jahrb. f. Philol. 1875 pag. 318) se invenisse putat, ea incerta esse demonstrabo:

1) *pure tedte* (*quo dante*) tab. V. a. 7 eodem iure sic dividi potest: *pu-re*, praesertim cum Buechelero iudice *porsi* (*qui*) factum sit ex *po-rsi*; quid illud *ri* (vel *re*, *rsi*, *rse*, exortum ex *de*) sit, difficile est dictu; fortasse non plane inepte quispiam dicere possit non esse diversum a graeco *δε*, quod pronominibus nonnullis additur (*ὅδε*) atque cohaeret cum latino *dam, dem*.

2) In tabula VI. a. 5 legitur *sersi pirsi*, quod Buechelerus rectissime vertit: *sede qua*. At *pirsi* non est ablativus sed locativus *pi-rsi*, qui casus exstat in verbis *sersi* (*sedi*), *esmi-k*, *erse*, tab. VI. a. 5, 8; itaque *erse pirsi* vertendum est *hic ubi*, non *tum cum*, quam sententiam Brealus sequitur, cum vix nobis concedere possimus, ut in lingua satis ignota eadem verba, argumento certo deficiente, diverso modo vertantur.

Num liceat in veterum Romanorum scriptis illud *d* ablativi restituere, id quod Ritschelius in Plauti fabulis conatus est, cum hac de re iam saepissime quaesitum sit, infra de paucis modo formis disputabimus; id negari non potest, verba primae et secundae declinationis diutissime illud *d* conservasse, id quod inscriptiones demonstrant hae: C. I. I, 181 *aere molticatod*; I, 30 *Gnaivod patre prognatus*, quod Leskieni sententia probata ea re explicari possit, quod hae declinationes solae iure illud *d* possederint. — Neque raro iam antiquissimis temporibus nominum stirpes in consonantem et

i exeuntes inter se commixtas esse, ex his formis apparet: *aved, airid* (C. I. I, 61), *coventionid, virtutei, fontei, dotei, patrē,* cuius vocis syllabam ultimam productam fuisse ex illo versu Saturnio intellegitur:

Gnaivód patré prognátus — fórtis vír sapiénsque. C. I. I, 30.

Ablativus autem nominum in *i* exeuntium sic ortus est: *sorti-ed* — *sortid*; tum consonanti *d* amissa atque vocali *i* in *e* mutata, casus ablativus cum dativo sive locativo, quorum uterque casus, quominus iam antea eandem formam praeberent, diversa tantum finalis syllabae quantitas impediverat, ita coniungebatur, ut usus formarum *rurĕ, rurĭ* non differret.

Vidimus igitur in omnibus linguis italicis pluralis ablativum et locativum, in latina singularis quoque duarum declinationum in unum esse coniunctos.

Caput II.

DE ABLATIVI CASUS USU.

Octo casuum, qui in omnibus linguis indogermanicis olim exstabant, lingua latina septem vel potius sex servavit, cum locativus partim ad usum satis artis finibus circumscriptum et fere adverbialem reduceretur, partim cum aliis casibus coalesceret, quibuscum una a plerisque grammaticis praeteritae nostraeque aetatis tractabatur. Cuius rei exemplum luculentum hoc est: plerumque dictum est *ruri* (*auf dem Lande*), at *rure paterno* (*auf d. väterl. Landgut*); apparet enim *ruri* propterea cum adiectivo coniunctum non esse, quod adverbium erat.

Sermo latinus, qualis in antiquissimis monumentis, quae quidem ad nos pervenerunt, exstat, praepositiones saepius in usum suum convertit quam sequenti tempore factum est, quo certiore quadam lege purorum casuum casuumque cum praepositionibus coniunctorum usus distinguitur. Quare Plauti

fabulas perscrutantibus nobis dubium est, num Tychonis Mommseni (Programm d. Gymnas. z. Frankfurt a/M. 1874, 1876) sententia plane probanda sit dicentis in prosa oratione plures praepositiones quam in poesi adhibitas esse. Cum vero in terrarum atque urbium nominibus potissimum usus antiquissimus cognoscatur, haec verba seorsum in fine tractabuntur.

Casu ablativo, id quod iam veteres Indorum grammatici intellexerunt, ea res effertur, a qua quid separatur; in latina contra lingua hic casus praeter propriam illam vim instrumentalis quoque et locativi partes in se suscepit, itaque factum est, ut homo latinus ablativo casu ad eas interrogationes respondere posset, quae sunt in nostra lingua *woher, wo, womit, wodurch;* nam eam vim, quae est in nostro *wohin,* quam Buechelerus (Gr. pag. 46) huic casui tribuit, ei concedendam non esse infra demonstrare conabimur.

Considerantes igitur, quomodo hic casus ad terminos locales significandos usurpatus sit, viae, quam Delbrueckius primus ingressus est, nos committemus. Qui casus cum, quod iam supra tetigimus, nonnullis aliis par fieret, evenit, ut perspicuitatis causa saepe cum praepositionibus coniungeretur, ex quibus non raro intellegitur, utrum usus quidam ablativi proprius an instrumentalis an locativus primitus fuerit, quare in sequenti quaestione casum nudum a casu cum praepositione coniuncto separatum tractabimus.

Primo quidem loco de primigenio huius casus usu disseremus.

Ablativi usus proprius.

I. Ablativus cum verbis movendi, eundi, pellendi coniunctus.

1) Verba simplicia.

a) Hic praecipue *domo* et *rure* commemoranda sunt; qua ductus ratione Lorentzius (in ed. Mostellariae fab. pag. 262) formae *ruri* num eadem vis esse possit dubitet, nescio; nos quidem non falsam esse putamus Buecheleri sententiam, qui *ruri* ablativi propriam formam esse con-

tendit, quia verbo *rus* in declinationem nominum in *i* exeuntium transgresso fieri non potuit, quin *ruri* ex *ruri-ed* (cf. *sortid* pag. 392) oriretur. — *ruri* autem ea potestate legitur his locis:

videtur ruri redisse. Truc. III, 2, 1.
si ruri veniat. Truc. III, 2, 25.
veniunt ruri rustici. Most. 1076. Itaque non est cur mutes. — Tum: cubitu surgat. Cato r. r. 5.
saxo saliat. Plaut. Trin. 266.
officio migrat. Trin. 639. Quocum Placidi glossam compares: *officio migravit* i. e. *officio recessit* (Deuerl. 73). Quare codicis Ambrosiani lectio confirmatur, cum cod. BCD hunc locum male scriptum praebeant. Huc ducendum est:
nostro officio non digressos esse. Ter. Phormio 722.

In Terenti vero fabulis hic usus multo rarior est:
grex motus locost. Pho. 32.

b) saliunt e saxo. Cato orig. pag. 66 (ed. Peteri).
auxilia a me segregant spernuntque se. Plaut. Capt. 517.
ut e lecto nequeat surgere. Ter. Ad. 520.

Exstant multa alia exempla.

2) Verba cum praepositione composita.

a) exterrita somno. Ennius ann. 37.
quae me somno suscitet. Plaut. Mil. 689, ubi Brixi coniectura haud verisimilis est, tametsi Merc. 160 *ex somno excitat* legitur: qua dictione quamquam Cicero semper usus esse dicitur, tamen nihil ad hunc locum spectat, cum Plautus non certam in praepositionibus adhibendis regulam sequatur. Aequo iure Livius afferri possit, qui I, 7, 6 *somno excitare* dicit.
templo hanc deducitis. Liv. Andr. 14.
exigor patria. Naev. 10.
regno expellunt. Pacuv. 10.
hinc vos propere stabulis amolimini. Pacuv. 16, quo loco a Buechelero et Ribbeckio *propere a* (sive *e*) *stabulis* scribitur.

aedibus absterrui. Titin. 45.
egredere, exi, ecfer te elimina urbe. Accius 593.
quam extorrem hac domo faciam. Titin. 77, ubi Ribbecki coniectura probatur.

evolvam terra aut mari aut alicunde. Plaut. Pseud. 305.
porta exierunt. Mil. 1432, quo loco *portam*, quod in cod. Ambr. legitur, haud omnino reiciendum est, si comparamus ea, quae usitatissima sunt: *exire urbem, limen exire* Ter. Hec. 378, graec. *ἐκπλεῖν τὸν Ἑλλήσποντον.*

patria hac effugiam. Merc. 660.
manu emisisti mulierem. Persa 482. Mirum quod Plautus atque Terentius semper hoc verbo composito *emittere* utuntur (cf. Lor. in ed. Pseud. 346). Nam Bothi editioni, ubi aliquoties *manu mittere* legitur, non multum tribuimus (cf. Casin. II, 8, 38 a. s.).
manibus amisisti praedam. Mil. 457.
opsonatu redeo. Men. 277. 288; Cas. III, 3, 98.
eiciat oppido. Ter. Andr. 382.
emunxi argento senes. Pho. 682.
erus uxore excidit. Andr. 423.
a pueris abscessit. Naev. 26, i. e. longe abest a pueris.
at: ex ephebis excedere. Merc. 61, i. e. desiit ephebus esse.

b) e conspectu hinc amolire. Pacuv. 184.
exit ex aedibus quoquam. Plaut. Pseud. 730.
exturbasti ex aedibus. Trin. 137.
possum me evolvere ex his turbis. Ter. Pho. 824.

Hic usus per totam latinitatem vulgaris erat.

II. Verba abstinendi, liberandi, solvendi.

a) capitali periclo me servavi. Plaut. Trin. 1088.
vos curis solvi ceteris. Ter. Hec. 230.
requiescat malis. Ennius tr. 295.
dicta factis discrepant. Accius 48.
curae somno me segregant. Sext. Turp. 52.

me prohibent uxore. Mil. 699.

ut meis bonis exheredem me faciam. Most. 234. Sed alia quoque huius verbi constructio invenitur: exheredem illum fecero vitae suae. Bacch. 849 (vide Madvigium Gr. Gr. § 286 b in adn.).

te poteris defensare iniuria. Bacch. 443.

maxumam hic iniuriam foribus defendat. Most. 900.

te hoc crimine expedi. Ter. Hec. 755.

abstine hoc, mulier, manum. Truc. V, 3, 4. Verbum *abstinere* his variis modis usurpatur:

α) abstinere aliquid; Men. 985: abstineam culpam; cf. Ter. Haut. 565.

β) abstinere aliquid ab aliquo; Amph. 340: a me ut abstineat manum.

γ) abstinere aliquid aliqua re (aut: aliquo); Rud. 425: potin ut me abstineas manum. Truc. V, 3, 4, 52. Poen. I, 2, 73. Cato r. r.: alieno manum abstineat.

δ) se abstinere aliqua re; Casin. I, 1, 13: urbanis rebus te abstines; Ter. Hec. 139: sese illa abstinere ut potuerit.

ε) abstinere aliqua re; Men. 770: abstineat culpa; cf. Rud. 1008.

b) arcere ab domum itione. Accius 173; cf. Pacuv. 305 ara arceam.

illum ab illa prohibeas. Epid. II, 2, 106.

ab Atticis abhorreo. Merc. 837.

filius a patre liber esto rel. XII tab. pag. 125 (in ed. Schoelli).

auxilio nudus. Accius 427.

detegetur corium de tergo meo. Epid. I, 1, 67.

III. Verba quae *abesse* significant.

a) impetus haud longe mediis regionibus restat (pro *distat*). Ennius ann. 475 (ed. Vahleni).

suam rem bene gessere et publicam patria procul. Enn. tr. 220 (Ribb.).

Quibus exemplis apparet improbandum esse id, quod Draegerus (pag. 455) disputavit, haec adverbia semper cum praepositione (*longe a, procul a*) coniungi.

b) a me culpam esse procul. Ter. Ad. 348.

longe ab aedibus fugiat. Plaut. Most. 390.

ius atque aecum se a malis spernit procul. Ennius tr. 224 (Ribb.).

Huc ducenda sunt:

haud ab re tibi convenit labos. Truc. II, 6, 40, i. e. *non damno tuo* sive *non abest a tuo fructu.*

ab re consulit. Trin. 238, quo loco Brixius eiusmodi exempla collegit.

Contrarium efficitur praepositione *ex*:

ex tua re est. Pseud. 336, i. e. *tibi usui est.*

ab significat aliquid abesse, *ex* aliquid quasi ex intimo prodire. Quamquam autem *ab* et *ex* non semper plane discernuntur, tamen *ex* gravius est.

IV. Verba petendi, orandi, impetrandi.

a) Fieri potest ut verbum *petere* praepositione omissa cum ablativo coniungatur; Mostellariae enim fabulae versus 762, 3 in codicibus BC corrupti sunt, in codice A sic scripti leguntur:

hinc exemplum capere volt
nam ille eo malum hinc opere exemplum petit,

ubi Ritschelius verbum *eo* in *ex* mutavit atque versus sic restituit:

Nunc hinc exemplum capere volt nisi tu nevis.
Ne ille ex malo malum hinc opere exemplum petit.

Similiter ab interpretibus in aliis locis praepositiones codicibus repugnantibus additae sunt; in Aul. IV, 7, 6 versu codices hanc lectionem praebent: *istuc confido fratre me impetrassere.* Holtzius quidem: „recte editores, inquit, etiam Kampmannus (de praep. *ab* pag. 12) ante *fratre* addiderunt

a, quoniam omissio praepositionis apud illud verbum inaudita est." Sed aliae quoque enuntiationes commemorabuntur, ubi Ciceronis quidem aetate praepositio necessaria esset, in Plauti vero fabulis codicum auctoritatem secuti praepositionibus opus esse negamus. Exempli gratia *Merc.* 521 versum adfero: *matura iam inde aetate*; omnibus autem aliis locis praepositio *ab* legitur: Trin. 305: *inde ab aetate* a. s.

b) ab iis petunt. Enn. tr. 359; ab hoc exorabo. Bacch. 1177. praeterea invenitur: orare ex te. Mil. 1072.

V. Verba originis.

a) Erebo creata nox. Enn. tr. 183 (Vahl.).
Tantalo prognatus. Naev. 49.
quo genere aut quibus parentibus nata sit. Plaut. Persa 594.
ortus mediocri satu Cadmogena. Accius 642.
homo Graio patre. Ennius ann. 183.
hospitem Zacyntho. Merc. 940.

Qualibus in elocutionibus Terentius fere semper praepositiones usurpat, at habet:

bonam bonis prognatam esse. Pho. 115.

b) ex se Anchisem generat. Enn. tr. 31.
ab stirpe exortus. Accius 596.
a stirpe supremus Burrus. Enn. tr. 184.
de summo loco adulescens. Capt. 29.
navem ex Rhodo. Merc. 257.
e Corintho advena anus. Ter. Haut. 96.
ex te esse natum. Haut. 1020.

VI. Ablativus cum praepositione coniunctus genetivi partibus fungitur:

abs te tetigit aures nuntius. Ex inc. fab. 23 (Ribb. I, 237).
esne tu ab illo milite. Pseud. 616 (cf. Lor. adn.).
foris concrepuit hinc a vicino sene. Mil. 154.
lar familiaris ex hac familia. Aul. I, 1, 2.
a nobis concrepuerunt fores. Ter. Haut. 613.

VII. Ablativus cum praepositione coniunctus saepe eum usum habet, ut aliquid a copia aliqua disiungatur (Holtze pag. 55, 179), quae dicendi ratio a Plauto multo saepius quam a Terentio adhibetur; scriptores vero classicae aetatis eius usus reliquias tantum retinuerunt.

facere sumptum de tuo. Plaut. Bacch. 98.
pauci ex multis. Pseud. 390.
solus ex plurimis. Most. 880.
tu ex amicis certis es certissimus. Trin. 94.
nemo ex omni Attica iuventute. Most. 30.
faciunt de malo peculium. Most. 863.
hic de grege illost. Ter. Ad. 362.

VIII. Ablativus cum praepositione coniunctus instrumentalis casus loco adhibitus videtur esse.

ex opibus summis. Mil. 620.
tantum poterit a facundia. Ter. Haut. 13.
ex amore insanit. Plaut. Merc. 325.
sanus fiet ex eo morbo. Cato r. r. 157.
abs te virgines viduae sunt. Enn. tr. 279.
sterilis ab datis. Truc. II, 1, 30.

Ablativi vis, de qua supra disputavimus, cum iam ex lingua indogermanica in italicam transierit, non est mirum quod in ceteris quoque dialectis idem usus reperitur, quam rem nonnullis exemplis probaturi sumus.

1) Lingua umbrica.

a) ampentu testru sese (impendito e dextera parte). tab. III, 23. IV, 15.

supru sese purtuvitu (a supera parte polluceto). IV, 3.

porsei nesimei asa deveia est (qui proxime ab ara deveia est). VI. a. 9.

porsei nesimei vapersus aviecleir est (qui proxime a sellis auguralibus est). tab. VI. a. 9.

ahavendu via ecla atera. VII. a. 27, quod a Buechelero ingeniose et recte conversum esse videtur: *avertito omni*

via malum; quae Brealus de hoc loco disserit, ne veri similia quidem sunt.

b) eetu ehe esu poplu (ito ex hoc populo). tab. VII. a. 45.

Plerumque autem praepositionis loco illud suffixum *tu* (*to*) in usu est, quocum latinum *tus* (*divinitus*) cohaeret; *tu* ablativo suffigitur:

akrutu (ex agro). V. a. 9.

dur tefruto tasetur persnihimumo (duo ex rogo taciti precantor, Buech.). VII. a. 46.

angluto hondomu anglome somo (ab angulo imo ad angulum summum). tab. VI. a. 9.

2) Lingua osca.

a) Ablativus purus saepe in nummis legitur, quare Mommsenus (U. I. D.) hinc usum in linguam latinam transiisse putavit. *Akudunniad, Tianud, Sidikinud* (lat. *Benventod, Ladinod*). Hic titulus sine dubio significat: nummus qui venit Benevento.

Aliae quoque in nummis inscriptiones sunt; locativus: *Frentreì* (osc.). — *Ladinei* (lat.). — Tum nominativus et genetivus.

eisucen ziculud comonom ni hipid (ab illo inde die comitia ne habuerit). tab. Bantin. 17.

viass . . imaden uupsens (vias ab ima inde fecerunt). X, 10 End.

Praepositio huius generis ablativo nusquam, quod scimus, addita est.

Terrarum urbiumque nomina.

Urbium nomina partim sola partim cum praepositionibus coniuncta ponuntur; ea autem regula, quae posteriore tempore invenitur, non exstat, quin etiam in Terenti fabulis semper praepositiones leguntur; tamen terrarum nomina iam tum aeque ac sequenti tempore coepta sunt tractari.

I. Terrarum nomina.

a) 1) Aetolia cepit. C. I. I, 534, i. e. praedam inde abstulit, de qua re Livius (24, 39; cf. Mommsenus quae disputat i. l. t.) loquitur.

2) Aegypto advenio. Plaut. Most. 440, quem dicendi usum Quintilianus (I, 5, 38) vituperat. cf. Draegeri librum pag. 457.

3) rediit Caria. Curc. 225.

4) adtuli tus Ponto amoenum. Truc. II, 6, 59.

5) petebant pellem Colchis, imperio regis Peliae. Enn. tr. 286 (Ribb. 211).

6) Utinam ne unquam, Mede, Colchis cupido corde pedem extulisses 311 (241).

b) 1) ex Graecia nemo reperiri potest. Accius 464. — Plautus praebet exempla haec:

2) ex Macedonia advenio. Trin. 845.

3) ex Asia venit. Stich. 152, 367. Trin. 845.

6) abductam ex Arabia. Persa 522. Trin. 845.

8) ne quis ex Arabia persequatur. Persa 541.

9) ex Alide rediit. Capt. 1002.

10) ex Alide redduximus. 1011.

11) eras tuas atque ex Graecia (scil. oportet esse). Rud. 737.

12) adtuli pallulam ex Phrygia. Truc. II, 6, 55.

13) adduxi ancillas ex Suria. Truc. II, 6, 49.

14) adtulisti usque e Persia. Persa 461, 498. —

Terentius haec habet:

16) ex Attica hinc abreptam. Eun. 110.

17) ex Aethiopia ancillulam 165. 471.

18) hanc esse captam ex Caria. Haut. 608.

19) qui ex Piraeo abierit. Eun. 290.

Piraeeum esse locum, non oppidum Cicero (ad Attic. VII, 3, 10) dicit, ut excuset quod ipse dixit „in Piraeea cum exissem“ (ad Att. VI, 9, 1).

Omnino igitur sex ablativi soli, undeviginti cum praepositione coniuncti in prisca latinitate inveniuntur.

II. Urbium nomina.

1) Hinnad cepit. C. I. L. 530.

2) Poeni Sarra oriundi. Enn. ann. 330.

3) reditum est Pergamo. Pacuv. 167.

4) Troiad exibant. Naev. b. P. fr. 5.
5) Syracusis soleae. Cato d. r. r.

In Plauti fabulis reperiuntur haec exempla:

6) Periphanes Rhodo. Asin. 499.
7) advexti tuae matri ancillam Rhodo. Merc. 390; hanc lectionem praebet codex B; in codicibus CD legitur: e Rhodo.
8) tulimus Epheso. Bacch. 231.
9) Carysto venit. Pseud. 730.
10) Zacyntho hospitem. Merc. 940.
11) Lemno adveniens. Truc. II, 4, 4; I, 1, 74.
13) Megaribus commigravit. Persa 137.
14) Ambracia huc veniunt. Stich. 491.
15) Hannonem Carthagine. Poen. V, 2, 36; IV, 2, 78. surripitur Carthagine. Poen. 66 prol., V, 2, 27. 29. 141.
21) remissi sunt Thebis. Epid. II, 2, 24.
22) quia Thebis redierit III, 3, 35.
23) Delphis tibi responsum ducito. Pseud. 480.
24) hinc Athenis civis eam emit. Epid. IV, 2, 32.
25) huc Athenis exul venit. Rud. 35. 1105. Mil. gl. 489. 114. 384. 439.
31) serve Athenis pessume. Pseud. 270.

Huc pertinent praeterea tribuum nomina. Vetustissimus mos erat tribum ex qua quis oriundus erat ablativo solo indicare:

Verres Romilia. (Cic. Verr. I, 8).

b) Urbium nominibus praepositio additur in his exemplis:

1) nihil a Troia adportat. Pacuv. 318.
2) e Troia exibant. Naev. b. P. fr. 6.

In Plauti fabulis exstant haec:

3) ex Epheso navis advenit. Bacch. 236.
4) ex Epheso literas missi. 389. 561.
6) unde esse eam aiunt? Ex Samo. 472.
7) avexit ex Samo. 574.
8) ecfertur praeda ex Troia. 1058.
9) conspicor navem ex Rhodo. Merc. 257.

10) advenio ex Seleucia. Trin. 845.
11) purpuram ex Sarra tibi adtuli. Truc. II, 6, 58.
12) ab Acherunte veniam. Amph. 1078.
13) quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit. Poen. I, 2, 134 quamquam dubium est, num liceat nomen *Acheruns* hoc loco enumerare.
14) longe ab Athenis. Persa 151.
15) a Magalibus periere. Poen. pr. 86.
16) ex Anactorio commigravit. Poen. pr. 93.
17) ex Carysto advenit. Pseud. 737.
18) ex Sicyone huc pervenisti 1174.
19) ex Seleucia veniat. Trin. 771. —

In Terenti fabulis:

20) ex Andro commigravit. Andr. 70.
21) abreptam e Sunio. Eun. 115.
22) est e Corintho hic advena anus. Haut. 96.

Reperiuntur igitur terrarum nomina:

I. Cum verbis movendi, eundi, aliis coniuncta	
a) sine praepositionibus	6
b) cum praepositionibus	15
II. Cum verbis originis:	
a) sine praepositionibus	nullum
b) cum praepositionibus	4

Urbium nominum exempla:

I. Cum verbis movendi etc. coniuncta	
a) sine praepositionibus	23
b) cum praepositionibus	19
II. Cum verbis originis:	
a) sine praepositionibus	8
b) cum praepositionibus	3

Attamen quae ablativo vis insit, saepius dubitari potest, quam ad rem demonstrandam haec exempla affero: adduxi ancillas ex Suria (I, b, 13 cf. II, b, 7), ex Epheso navis advenit (II, b, 3), ubi utrumque ablativi genus locum habet. — Constat autem illam regulam, qua postea terrarum nomina

tenebantur, priore iam tempore usurpari coeptam esse, urbium vero nomina nullo intercedente discrimine modo sola, modo cum praepositione coniuncta poni.

Ablativus, quo versari aliquid in aliquo loco significatur.

Postquam de ea ablativi vi, quae huic casui quasi innata est, disputavimus, transimus ad secundum usum eumque in lingua latina certe antiquissimum, quo ablativus eum locum significat, in quo aliquid est sive versatur. Quaeritur autem, utrum latini homines hunc usum primi constituerint, an ab italica illa communi dialectorum matre, quippe quae omnes octo casus possederit, adepti sint. Qua de re nunquam quaesitum est, quod homines docti, semper a Ciceronianae aetatis dicendi ratione profecti, hunc usum in prisca latinitate atque dialectis eundem fuisse pro certo habebant. Ac primum quidem de dialectis disputabimus, in quibus cum locativus inveniatur ab ablativo forma distinctus, veri simile est usum quoque magis indogermanico sive primigenio respondere, quam qui in lingua latina exstat.

I. Lingua umbrica.

Aufrechtus et Kirchhoffius, Brealus, Buechelerus in nonnullis locis ablativum locativi loco positum esse putaverunt, quin etiam Buechelerus in eiusmodi exemplis *d* litterae ablativi propriae reliquias quasdam inveniri sibi persuasit, id quod non probandum esse supra demonstrasse nobis videmur.

1) *serse pirsi sesust — erse* (sede qua steterit — ea) tab. VI a. 5; quae formae locativi sunt.

2) *persnimu puse sorsu* VI, b, 37, quod Brealus vertit *uti in fercto*, Buechelerus vero certe rectius interpretatur *precator ut porcilia*.

3) *tremnu serse ehveltu* VI, a, 2 Buechelerus, cuius sententia a Breali interpretatione non multum differt, hoc sic convertit: *in tabernaculo sedens iubeto*. Conferri potest similis enuntiatio *tremnu serse combifiatu* (in tabernaculo sedens auspicator) VI, a, 16. Inquiramus autem in aliquot alios locos, quomodo se habeant. In tab. VI, b, 51 *combifiatu vapefe avieclu* (auspicator ad (in) vapides avieculos). Vides hoc opus locum quendam versus fieri. Eadem dicendi ratio apparet: *tra Sahta kupifiaia* (trans Sahtam auspicator) I, b, 35; *vapefem avieklufe kupifiaia* I, b, 14. Quid, nonne est veri simile nostro loco sedem nominari, ex qua quis auspicari debeat, ut sic convertamus: *a tabernaculo, sedens, auspicator* sive *ab aedificata sede auspicator*; quod verbis atque sensui non repugnat.

4) *erahunt vea etutu* (eadem via eunto, Buech.), I, b, 23; eundem sensum verbis *erafont via etutu* contineri apparet, quare Breali interpretatio *easdem vias eunto* placet fortasse nonnullis putantibus ex formis quae sunt *eraf-ont veaf* consonantem *f* excidisse; quae opinio confirmatur eo, quod *ont, hont* ab verbo *huntak* vix disiungi potest. Nec placet Buecheleri sententia *ont, hont* ex *font* (era — font) ortum esse, quia initio quidem vocis umbricae consonantes deleri non solent. Ceterum etiamsi illos casus ablativos esse statueremus, ea re nequaquam probaretur ablativum ab Umbris locativi loco positum esse. Potuit enim hic ablativus ex eo instrumentalis casus usu fluere, quo spatium, quocum quid cohaeret, sive viam, qua quis proficiscitur, significat (ut iugis Octogesam perveniret, Caes.).

Non magis iis verbis quae tab. I, b, 48 legimus *erihunt tuderus* (in iisdem finibus) sententia mea refellitur, quoniam ablativus pluralis numeri ex ablativo et locativo confluxit.

Fortasse mihi aliquis obiiciet *co* (*kum*) praepositionem, ab Umbris substantivo quocum cohaeret semper postpositam et ea fere potestate quam habet latinum *ad* praeditam, non tantum cum pluralis sed etiam cum singularis numeri ablativis coniungi in his exemplis *destruco persi* (ad dexteram postem), *vukukum Juviu* (ad aedem Iovium). Sed intellegitur hic usus ex praepositionis *kum* (*co*) natura, quippe quae significet *prope ad* atque similiter adhibeatur ac *nesimei* (proxime) i. e. cum ablativo *nesimei asa deveia* (proxume ab ara dev.) VI, a, 9,

secundum eum usum, qui est in lingua latina notissimus (prope a Sicilia, Cic.).

II. Lingua osca.

1) *ekuk amvìanud eituns* (*hoc ambitu eunt*, aut *eant*) XXXVII End., quam interpretationem Mommsenus ipse non certam protulit; ex Buecheleri quoque sententia *eituns* alio modo convertendum est; fortasse hic ablativus eodem modo explicandus est, quo *erahunt vea* de quo vidimus pag. 405.

2) *amnùd puf* (in circuitu quo, End.) Cipp. Abell. 17; melius interpretatur Mommsenus *ex causa aliqua*; Enderisi enim sententiam falsam esse demonstratur verbis *cadeis amnùd* (tab. Bant. 6), quod hic ipse *petiti causa* explicat.

3) *ekak* nonnunquam adverbio *hic* convertitur, ut *ekak* atque *ekik* (locat.) eiusdem potestatis esse videantur (End. XI). *pastata ekak upsan dedet* Mommsenus recte interpretatur *porticum hanc faciendam dedit.* Si Enderisius *hic* scribit, sine dubio errat.

XVI, 5 trìbum ekak ùpsannam dedet. X, 2 ekak viam terem(nat)tens (hanc (End.: hic) viam terminaverunt). XXVI, 1 [e]kak ùps[annam de]ded. — Ubique *ekak* vocula *hanc* explicari licet multo aptius quam *hic*. Nam consonantem *m* saepius decidisse exemplo esse potest X, 5 *via pùmpiìana* (viam pompeianam).

Aliis locis magis fortasse placeat eiusdem vocis interpretatio: *hâc* scil. *eìtiuvad* (cf. LII, Mo. 4), ut conveniat cum *eìsak eitìuvad* (eâ pecuniâ), quod non minime eo confirmatur, quod *ekak* plerumque cum *upsan* coniunctum exstat (vid. End. XI).

4) *ekhad* nihil demonstrat, quod lapis, in quo haec inscriptio legitur, laesus est.

5) *iak* (*XXVIII*) *iace* (*XXIX*) non aliter atque *ekak* intellegitur.

6) *svae pod* tab. Bant. 24, cuius interpretatio, quam Enderisius auctore Mommseno affert, valde dubia est, quia *aliquando* hoc loco minime requiritur; fortasse verba illa potius cum latino *quod si* comparanda sunt.

7) *pùkkapìd* C. A. 52; t. Bant. 8: *pocapid*, quod Mommsenus graeco *ποτέ* comparat; sententia Enderisi, ex qua hoc verbum factum est ex *pôd-ka-pid*, nullam habet vim.

8) [*p*]*ùllad viù uruvù* ist C. A. 56 non est, cur non *a qua via* convertas.

Summi vero momenti sunt exempla haec.

9) *slaagìd pùd ìst* C. A. 12; de verbo *slaagid* G. Curtius in annalibus antiquitatis studiorum 1847 pag. 493 sic iudicat: „so viel scheint festzustehen, dass das Wort eine Ortsangabe enthält, also der Ablativ in dieser Declination für den Locativ steht.“ Rectissime quidem huic verbo, cuius etymologia non plane nota est, localem vim inesse intellexit, sed quid sibi velit illud *slaagìd*, fortasse nunquam elucebit; a Mommseno, quem omnes alii sequuntur, sic explicatur: *loco quod est*; quem cum non fugeret in ablativo magnam difficultatem inesse, praepositionem *en* ante *slaagid* excidisse putavit. Sed ne sic quidem de sententia loci satis constat, ac parum verisimile est in eadem lingua locativum et *en* cum ablativo in usu fuisse.

10) *ekìk sakaraklùm Bùvaianùd aikdafed.* End. XXIV. Mo. U. I. D. 172.

Translationem *Boviani* Mommsenus nonnullis, quae affert, exemplis (decurio Nola, IIvir Venafro) defendere conatur, sed aliud est *decurio Nola* aliud *hic Boviano* (i. e. Boviani); nam *sakaraklùm Bùvaianùd* (sacellum Boviani) hoc loco nullo modo intellegitur, quoniam genetivus exspectatur, praesertim cum *ekik*, quod antecedit, nihil nisi *Boviani* esse possit. Num *ekik* . . *Bùvaianùd* (hic Boviani) coniungendum sit, quod quidem plane refelli nullo modo potest, mihi dubium videtur esse similes enuntiationes comparanti has: *mùinikeì tereì* (*in terra communi*) C. A. 19, *Frentrei*, cf. pag. 400). — Itaque hunc locum sic intellego: *meddix tuticus . . . Boviano*, quae sententia exemplis, quae Mommsenus affert, adiuvatur. Concedendum quidem est verborum ordinem, hac sententia probata, esse mirum, sed ille verbo *sakaraklùm* semper disturbatur.

Quae cum ita sint, demonstrasse mihi videor in lingua

umbrica nullum, in osca fortasse aliquot exempla exstare, ubi ablativus nudus locativi vim habeat.

Dixerit fortasse quispiam sententiam meam falsam esse, quia non raro ablativus cum praepositione coniunctus versari aliquid aliquo loco significet. Huius rei exempla sunt:

1) *op toutad* (coram populo) t. B. 14. *ùp eìsùd sakaraklùd* (apud illud sacellum) C. A. 13.

2) *pru meddixud* (pro magistratu) tab. Agn. 13. *pru medicatud* t. A. 23.

3) *post exac* A. B. 8, 23 (posthac). *pùst feíhùs* C. A. 45 (post ficos).

Multum autem interest inter casum aliquem nude positum eumque, qui cum praepositione coniungitur. Nam praepositionum qualis sensus primus fuerit, nescimus. Nonne latinus usus, secundum quem *proxume ab urbe* et *proxume ad urbem* dicere licet, luce clarius demonstrat eandem sententiam diversis praepositionibus adhibitis proferri posse? *ad urbem* si dicitur, potest hoc haud dubie germanice verti *bei der Stadt* — *apud forum, ad forum* idem est quod *in foro,* attamen non est qui dicat, accusativum solum locativi sensum usquam accepisse. Hanc in rem si accuratius inquirimus, apparet eorum verborum, quae sunt *ager ad urbem,* sensum primigenium fuisse *der Acker, der sich bis zur Stadt hinzieht*; *nesimei asa deveia* (nahe beim Altar) *nahe vom Altar aus gerechnet.*

Quare sententiam profero, quam veram esse imprimis Georgius Curtius, magister benevolentissimus, in colloquio mihi persuasit. Non modo ablativus (sive locativus) pluralis effecit, ut etiam ablativus singularis in lingua latina locativi loco usurparetur, quorum utriusque casus formae priore quidem tempore differebant, sed etiam praepositionibus additis ablativi vis debilitata quodammodo atque minuta est, ut postremo, postquam formae quoque confluxerunt, ablativus et locativus fere plane commisceri possent (Curtius, Erläuterungen[2] pag. 176). Itaque fortasse factum est, ut in osca quoque lingua aliquoties ablativus locativi munere fungeretur.

III. Lingua latina.

Id quod supra demonstrasse nobis videmur, latinae quoque linguae usu confirmatur; etsi enim iam antiquissimis temporibus ablativus locativi loco usurpatus sit, tamen hic usus illo quidem tempore rarus est. Perscrutantibus nobis aliquot Plauti et Terenti fabulas hoc miro fere modo comprobatur. In Plauti Trinummo semel tantum ablativus pro locativo positus est: v. 484 „Cena hac annonast sine sacris hereditas"; nam verbum *rure* 166 quod codices habent (Nonius: *ruri*) nullius est momenti. In Mostellaria autem fabula huius ablativi nullum exemplum exstat, quia versus 1063: *foris concrepuit proxuma vicinia* eodem modo interpretandus est quo Mil. 1377 *hinc sonitum fecerunt fores.* In utraque autem fabula circiter triginta ablativi cum praepositione coniuncti sunt ea potestate, de qua agitur, praediti. In Terenti fabulas idem cadit.

Transeo ad locativi similem usum ablativi nudi.

a) ubi habet? urbe agrone? Accius 537.
novem hiemes saxo stratus pertuli. 557.
conclamitare tota urbe. Pl. Merc. 57.
suon' quicque loco est. Most. 254.
capite sistebant cadi. Mil. 851.
utero haeret meo. Stich. 170, cf. adhaesit ad infimum ventrem. 236.
qua via te captent eadem ipsos cepi. Ter. Hec. 73.
Dardaniis campis. Ennius ann. 359.
plenis semitis qui advorsum eunt. Pl. Merc. 114.
omnes festinant intus totis aedibus. Casin. IV, 1, 5.

b) Cum ablativi cum praepositionibus coniuncti usus multo frequentior sit atque per totam latinitatem reperiatur, pauca modo exempla adferam.

sunt in bello. Enn. tr. 379 (cf. domi duellique duellatores optumi. Pl. Capt. 68).

te in terra vivere. Mil. 56. (strata terrae lavere lacrumis vestem. Enn. ann. 370. terrae odium ambulat. Bacch. 820.)

in nostrast domo thensaurus. Pseud. 84. (meae domi te accipiam. Mil. 739.)

in germani fratris loco. Ter. Andr. 292.

in totis aedibus tenebrae sunt. Poen. IV, 2, 12.

Hic notandum est verbum *ilico,* quod ex *in loco* ortum esse recte statuitur; atque sensu locali invenitur: *manete ilico.* Caec. Stat. 118. Bacch. 1140.

Quo ablativi usu perlustrato occasio oblata videtur esse sententiae quam nuper Maximilianus Muellerus (Fleck. Jahrb. f. Philol. 1875 pag. 689; cf. Bergk, Beitr. I, 10) de ablativi *d* protulit, examinandae. — Dictione enim tali, qualis est *in altod marid,* ille unquam Romanos usos esse negat, quia *d* ei tantum ablativo conveniat, qui proficisci ab aliquo loco significet (*ab altod marid*). Et hoc quidem constat columnam rostratam, ubi plures huiusmodi formae leguntur, argumento non esse; nam Claudio imperatore ille titulus denuo scriptus est, quo tempore vel doctissimi homines, in quorum numero Quintilianus (I, 7, 11) est, ignorabant, illud *d* quid sibi vellet, immo hanc consonantem ex scriptorum licentia additam esse putabant. Pariter autem Muellerus illud senatus consultum de Bacchanalibus, ubi in ablativi exemplis omnibus *d* scribitur (*in oquoltod*), repudiat, sermonem huius tabulae non populi Romani, sed scribarum esse ratus, quod quidem verba *in agro Teurano* in fine posita demonstrarent. Verum etiamsi illum sermonem, quo scribae usi sunt, antiquiorem, ut ita dicam, *Kanzleistil* fuisse concedimus, tamen unde illi homines hauserint, quaeritur? certe enim antiquis scriptis et monumentis quae sequerentur usi sunt, atque scribae plerumque antiquas et obsoletas formas retinent, non novas sibi fingunt.

Quare Muellerus in hac re pervestiganda rectam viam non ingredi mihi videtur. Ablativum enim locativi munere fungi non minime eo efficiebatur, quod nonnullae casuum formae in unum confluxerant (cf. pag. 392. 408); in primae autem et secundae, quae vocantur declinationis nominibus praeterea aliae fuerunt causae, in quibus ceterarum declinationum analogia non minima fuit. Nam postquam variae

praepositiones cum casibus coniunctae in usum venerunt, ipsa casuum natura ea re quodammodo immutata est. Dudum dicebant Romani *in regione, in mari,* quae formae initio locativi fuerunt, deinde tamquam ablativi sentiebantur, quia forma ablativi in illa declinatione a locativo fere diversa non erat. Ita factum est, ut ex horum exemplorum analogia etiam *in oppido* dicerent. Multum praeterea valuit elocutionum contrariarum analogia, ita ut cum dudum *a regione* et *in regione* dixissent, postea ad illud, quod est *ex oppido, e villa,* accederet *in oppido, in villa.* — Quae sententia luculenter confirmatur linguae arcadicae atque cypriae usu, ubi praepositiones *ἀπύ* et *ἐς* (*ἐξ*) ex analogia praepositionis *ἰν* (*ἐν*) cum dativo coniunguntur: *ἀπὺ τᾷ ἂν — γένητοι* (Cauer, del. 117, 5); *ἀπὺ τᾷ ζᾷ* (118, 8), *ἐς τοῖ ἔργοι* (117, 52). — *ἐσς τῷ ϝοίκῳ* (del. 118, 5).

Sed illo tempore, quo in lingua latina ablativus locativi vim habebat, si *d* ablativi exstabat — id quod dubium non est — etiam ablativus suffixo *d* praeditus hac vi poni potuit; an putabis unum quemque hominem latinum considerasse, utrum ablativum locativi sensu usurparet necne? Immo ex analogia ablativorum *in mari, in regione* etiam *in oquoltod* formabatur, et deinde *in marid*; haud dubie tertiae declinationis nominibus multo rarius illud *d* suffixum invenitur, quod prius amissum esse videtur quam ceterarum declinationum. — Idcirco Ritschelius certe ingeniose istud *d* Plauto hiatus tollendi causa tribuit, quippe quae littera Plauti aetate in monumentis scriberetur. — Aliud exemplum invenitur in ephem. ep. 1874 p. 205: *in hoce loucarid.*

Ablativi usus temporalis.

In lingua italica sic ut in indogermanica non locum tantum sed etiam temporis spatium, quo quid factum est, casu locativo significatum esse negari non potest; atque huius casus, qui mox cum ablativo confluxit, multae adhuc reliquiae supersunt, quas enumerare longum est. Itaque nonnulla tantum exempla, ut hanc rem comprobemus, proferamus.

vesperi, vespere, temperi, tempore, heri, luci (vide exempla quae Corssenus, Aussprache I, 775, atque Lorentzius in edit. Mostellariae v. 534 collegerunt), *mani, mane* (Curtius, Grundz.[4] p. 329). Exempla meri ablativi temporalis afferantur haec:

a) Solet parere decimo mense. Caec. St. 14.
nocte caeca caelum e conspectu abstulit. Accius 32.
me decies die uno saepe extrudit aedibus. Pl. Aul. I, 2, 4.
qui illanc stupravit noctu Cereris vigiliis. Pl. Aul. prol. 36.

b) Addita praepositione haec leguntur:

in nocte serena. Enn. ann. 388.
confido illum in his diebus me reconciliassere. Capt. 164 (cf. Brixi adnot.).
ter in anno. Bacch. 1127.
quo velis in tempore ut te exsolvas. Ter. Haut. 721.
ut tam in brevi spatio de me eiecerit animum. Haut. 955.

Terrarum urbiumque nomina.

Qua de re agentibus nobis opus est casus variarum declinationum seiunctim tractare, quia sic optime usus uniuscuiusque formae proprius perspicietur. -

I. Terrarum nomina.

α) Tertiae declinationis:

a) illic apud vos servit captus Alide. Plaut. Capt. 330; hic Fleckeisenus praeeunte Bothio, quem etiam Holtzius sequitur (pag. 80), *in Alide* contra codicum auctoritatem scribit.

b) eum vendidit in Alide. Capt. 9. 24. 541. 544. 587. 634. 970. 976.

Accedant exempla montis:
in Sauracti habitat. Cato orig. 66 (Peter).
quem Chiro in Pelio docuit. Liv. Andr. 35.

β) I. atque II. Declin.
a) Nullum exemplum exstat.
b) in Fiscello caprae ferae sunt. Cato orig. p. 11 (Jordan).

Plautus haec exempla reliquit:
2) illum reliqui in Cecropia insula. Trin. 928.
3) Arabiast in Ponto. Trin. 934.
4) natus esse in Sicilia. Men. 409, 1096.
6) utinam in Sicilia perbiteres. Rud. 495.
7) elephanto in India praefregisti brachium. Mil. 25.
8) centum in Cilicia sunt. Mil. 42.
9) centum in Cryphiolathronia sunt. 43.
10) faciebat in Ionia. Persa 826.
11) cepere urbem in Arabia. Persa 506.
12) Quid in Cappadocia? Mil. 52.
(13) in Graecia hoc fieri aio. Casin. pr. 71; qui prologus post Plauti mortem factus est, ut hoc exemplum non magni sit momenti.

Ennius praebet:
14) in Sicilia. pag. 173 (Vahl.). Euh. XI, 60.
15) in Creta. pag. 174. Euh. XII, 70.
16) in Creta et in oppido Cnosso XII, 72.

Caecilius:
17) quantum amantum est in Attica. inc. fab. 11.

Terentius:
18) est in Asia. Haut. 181.
19) coimus in Piraeo. Eun. 539.
20) liqui in Aegaeo freto. Pacuv. 179.
21) in Parnaso tripudiantem. Accius 249.

γ) Abl. plur. exemplum hoc:
a) natus Argis ex patre Argo. Plaut. Amph. 98.

II. Urbium et insularum nomina eorumque simillima.

α) Tertiae declinationis exempla:

Cum supra viderimus huius declinationis ablativum et locativum inter se commixtos esse, ut *rure* atque *ruri* eandem vim praeberent, nunc formas ope *i* aut *e* formatas enumerabimus.

a) 1) ut Acherunti clueas gloria. Pl. Capt. 685.

2) quae Acherunti fierent cruciamenta. 995.
3) quantum Acherunte est mortuorum. Poen. I, 3, 22.
4) neque hic neque Acherunti sum. Merc. 606.
5) Fuere Sicyoni Dionysia. Cist. I, 3, 8.
6) Sicyoni necessest me esse. Pseud. 995.
7) Adulescens hic est Sicyoni. Cist. I, 3, 42.
8) hic ut Acherunti ratio scribitur. Truc. IV, 2, 36.
9) Carthagini aio hoc fieri. Casin. pr. 71.
10) 11) Carthagini sum natus. Poen. V, 2, 78. 96.

β) I. atque II. Decl.

a) Duo exempla exstant, in quibus ablativus locativi munere fungi videtur, nisi forte codicum auctoritate neglecta locativi formam scribere libet.

1) hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas. Merc. 943.

2) Mil. gl. versus 653 in codicibus sic legitur:

non enim in Apulis non suminimula

quem versum Ritschelius quidem sanavit, cum scribit *Animulae*; at reputanti tibi in Mercatoris versu *Zacyntho* pro *Zacynthi* dictum esse, quid sit cur non scribas *non sum* (vel *noenum*, praeeunte Buechelero, Fleck. Jahrb. 1863 pag. 774) *in Apulis non Animula*, non video.

3) Romae tunicas, Venafro palas, Suessae et in Lucanis plostra. Cato r. r. 135; quo loco non ablativum pro locativo dictum esse facile iis verbis, quae sequuntur, perspicitur:

Albae, Romae dolia, labra; tegulae ex Venafro.

Quae verba sic explanes necesse est: dolia, labra, quae Romae fabricantur, tegulae, quae ex Venafro afferuntur vel arcessuntur; — quare etiam illam enuntiationem sic intellegimus: *Romae tunicas, (ex) Venafro palas*; quod confirmatur sequenti oratione: *Capuae, Nolae, Romae, Venafri*; nam scriptorem vocibus *Venafro* et *Venafri* in eodem capitulo pari sensu usum esse certe neges.

b) 1) in Venafro erat. Cato d. r. r. 136 (Venafri Nolae, 135).

2) in oppido Cnosso. Ennius Eub. 72.
In Plauti fabulis exstant exempla haec:
3) damnum in Epidamno duas. ,Men. 268.
4) ibidem in Epidamno novisti. 380 (bis).
6) latro in Sparta fuit. Poen. III, 3, 50.
7) quam in Epidauro memini comprimere. Epid. IV, 1, 17. 31.
9) mihi in Epidauro primus pudicitiam pepulit. Epid. IV, 1, 18.
10) ecquem in Epidauro noverim. Curc. 341.
11) in Epidauro salutem dicit. 429.
Contra: si quis quid Epidamni curari sibi velit. Men. 51.
Epidauri satam video te. Epid. V, 1, 29.
12) in Ephesost carissumus. Bacch. 309.
13) tibi est in Epheso quid negoti. Mil. 441.
14) se sectari in Epheso memorat mulieres 778.
Contra: nullus est Ephesi. Bacch. 336. 1047.
Ephesi sum natus. Mil. 653.
15) illas emit in Anactorio. Poen. IV, 2, 74.
In Terenti fabulis:
16) alii in Andro audivere. Andr. 931.
17) cum eius consuevit matre in Lemno. Pho. 873. 1004.
Contra: Lemni reddunt praedia. Pho. 680.
Lemni habuit aliam. 142.
mansiones diutinae erant Lemni. 1013.
19) in Imbro moritur. Hec. 171.

γ) Ablativus pluralis:

1) non falsa autumare dictio Delfis solet. Pacuv. 308. Naev. b. P. 7.
3) glaucum cape Cumis. Enn. pag. 166 (Vahl.).
Plautus exempla praebet haec:
4) licet hoc Athenis nobis. Stich. 448.
5) est Athenis quisquam. Asin. 492. Bacch. 563. Most. 1072. Rud. 738. 9. 741. Mil. 451. Rud. 746.
13) omnes res gestas esse Athenis autumant. Men. 8. Mil. gl. 99. 100. Ru. 1111.

17) Quem me dices digniorem esse hominem Athenis alterum. Epid. III, 4, 70; I, 1, 24. In fab. Aulularia, Pseudulo, Truculento quinquies „Athenis“ exstat.

23) qui Syracusis habet. Men. 69. 17. 409.
te Syracusis natum esse. 1097.

27) natam Thebis videon' ego te. Epid. V, 1, 29. Amph. 677. 1046. Rud. 746.

Consideremus huius quaestionis quae sit summa.

Reperiuntur 1) terrarum nominum exempla:

α) ablat. sing. III. decl., 1 sine praep.; 8 cum praep. (praeterea duo
β) „ „ I. II. „ — „ „ 21 exempla montis).
γ) „ plur. — „ 1 „ „ —

2) Urbium nominum exempla:

α) abl. sing. III. decl., 11 sine praep.; — cum praep.
β) „ „ I. II. „ 2(?) „ „ 19
γ) „ plur. — „ 30 „ „ —

Quibus rebus expositis singularis numeri ablativum ipsam locativi vim non habuisse apparet, aliquot autem tertiae declinationis nomina, quorum formae locativo respondeant, eius casus loco adhibita esse, qua re id, quod de ablativi in lingua italica atque latina vi disputavimus, confirmatur. Tum id, quod de ablativi pluralis forma supra exposuimus, probatur, comparantibus enim nobis ablativi singularis decl. I. et II. usum cum ablativi pluralis usu dubium non est, quin hic locativi suffixo formatus sit.

III. Ablativus qui terminum in quem significare videtur.

Vis ablativi, de qua nunc disseremus, quamquam a propria huius casus potestate primitus diversa non fuit, propterea tamen silentio praeteriri non potest, quod ex nostrae linguae usu aliquot ablativis latinis ea vis inesse videtur, ut terminum qui dicitur in quem significent. At alia saepe Romanis, alia nobis cogitandi ratio est. — Exempla haec sunt:

non hac temere transiri potest. Bacch. 85 (i. e. *hac via* aut *ab hac parte*).

illac transiit ad nos. Truc. II, 1, 37.
sequere hac me ad forum. Pseud. 1229.
si istac ibis . . hac ibo potius. Merc. 219.
ite hac ad cantharum recta via. Ps. 1051.
iter hac habui. Ter. Eun. 1065.

In eiusmodi igitur enuntiatis *hac* vix aliter atque *hierhin* interpretere. Sed facile est intellectu, quomodo vis horum adverbiorum *hac, illac,* quae ab eo quod est ex *hac parte* aut *hac via* primitus diversa non fuerunt, ita mutari potuerit, ut postremo a vi *dorthin* fere non differret. De vocibus *quo, illo, huc, illuc* hoc loco non quaeretur, has enim formas non ablativos sed dativos esse rectissime ab Hartungio atque Curtio intellectum est, qui homines doctissimi verba *quo, eo* ex *quoi, eoi* exorta esse putant.

Invenimus igitur quaerendo antiquissima linguae latinae aetate, ex qua aliqua notitia ad nos pervenit, ablativum purum paene sic ut indogermanicum adhibitum esse, sensim autem praepositionum maxime cum casibus coniunctarum ope id effectum esse, ut ablativus cum locativo propter multarum formarum similitudinem confunderetur.

VITA.

Maximilianus Ferdinandus Ruge natus sum Berolini d. XI. sept. m. a. h. s. LIII patre Ludovico, matre Maria e gente Maveriana. Elementis primis instructus gymnasium Fridericum Werderanum, quod tum Bonnellio duce florebat, adii. Inde maturitatis testimonium adeptus a. LXXII Ienam me contuli, ubi universitatis civibus adscriptus ter sex menses studiis philologicis vacavi. Seminarii archaeologici et societatis grammaticae, cui Delbrueckius et Sieversius praeerant, sodalis fui; seminarii philologici sodalis fui extraordinarius, scholas adii vv. cll. Bursiani, Cappelleri, Delbruecki, Haeckeli, Nipperdei, Schaefferi, A. Schmidti, M. Schmidti, Sieversi, Walteri. — Berolinum reduci facto atque inter cives Fr. G. universitatis recepto Huebnerus, Kirchhoffius, Muellenhoffius ad exercitationes suas aditum mihi permiserunt; ad scholas accessi vv. cll. E. Curti, Droyseni, Huebneri, A. Kirchhoffi, Muellenhoffi, Steinthali, Vahleni, Weberi, Zelleri. — A. LXXVI Lipsiam profectus in societatibus suis Curti, Ribbecki, Zarnckei doctrina fructus sum; per bis sex menses scholis interfui vv. cll. G. Curti, Lipsi, Ribbecki, Zarnckei. — His viris omnibus gratias ago quam maximas.